

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1783

Notae in fragmentum libri XCI

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1333)

## NOTÆ

IN

FRAGMENTUM LIBRI XCI  
TITI LIVII.

*N*OCRE *insequenti*. *Supplevi nocte* ; idque postulabat, quod mox sequitur *prima luce miraculo hostibus fuit*. Nocte erat sane scriptum superiore pagina.

*Ipsa pervigilante*. *Ipsa Sertorio pervigilante*.

*Tum erumpente validius ardescere igni*. Si quis adtenderit, quæ supersint literæ, vacuumque spatium, is haud diffitebitur hunc esse T. Livii sensum.

*Contrebienses*. Contrebia, urbs citerioris Hispaniæ, seu Tarraconensis, nunc *Santa-Vert*, dans *la Mancha*.

*L. (forte potius Caio) Instelo, præfecto equitum*. Is mihi videtur esse C. Instelus, præfectus equitum, qui infra memoratur pag. 185. Proclivis autem fuit error, ut L. pro C. maxime in unciali caractere, ac detrito legeretur. Si L. Instelus legendus est, quæ sit ejus dignitas militaris, ignoratur.

*Hiberum flumen. Nunc Ebro dicitur ; de quo Plinius III, 3. Iberus amnis navigabili commercio dives, ortus in Cantabris, haud procul oppido Juliobrica, nunc fuente d'Ivero, per CCCC.L.M. pass. fluens : navium per CCLX. M. a Varia oppido, nunc Logronno, de quo infra adhuc dicitur, capax, quem propter universam Hispaniam Græci adpellavere Iberiam. Videre est apud eruditum Florez, Medallas de Espanna, Tab. LII, n. 12. rarissimum insignemque nummum, in quo caput hominis ex ore aquam projicientis : infra HIBERVVS. Inde constat tum antiqua orthographia, cui favet Codex Vaticanus, tum Hispanum fluminis symbolum.*

*Oppidum, quod castra Ælia vocatur. Oppidum illud uni Livio memoratum, propinquum fuit Hiberi flumini : ita sane dictum, ab Ælio aliquo qui castra ibi condiderit. In Oscæ, nunc Huesca, nummis memoratur C. ÆLIUS II VIR, id est : C. Ælius duumvir.*

*Quæ aut itineribus. Hæc Cl. Bruns sine ulla distinctione cum sequentibus nova mane &c. conjungebat. Quod quam vitiosum sit satis indicat rerum verborumque series.*

*Oppugnationibus variisque præliis labefacta. Ita supplendum monstrant & supersites literæ, & vacuum ipsum spatium. Arma autem itineribus, obpugnationibus, præliis deteri, labefieri*

notum ac cōpertum est. Nec de itineribus mirum videatur, quum in iis sæpe cædendæ essent materiæ, aliaque præstanda, quæ passim obcurrunt in anaglyphis Columnæ Trajanæ.

*Divisit militi.* Supplendum, ut patet, *militi*; vel *militibus*. Placet magis *militi*, ne ambigua sint quæ sequuntur.

*Tum quoque ipsos.* Ipsos quoque Centuriones armis instruxit. Quæ manent literæ, supplementum satis indicant.

*Vestimenta que addita.* Néc difficile quoque fuit supplementum, per se satis obvium.

*Et operarum impendium.* Fabros enim advocaverat. Id, ut opinor, & loco & narrationi adcommo-  
tum videbitur.

*Bitumen excoqueretur.* Aut excoqueretur, aut eliquaretur supplendum. Sertorius machinarum scientia & usu peritissimus, ut videre est apud Plutarchum in ejus vita, adversus hostes & bitumine & malleolis & falaricis utebatur, maxime quum incendendæ essent eorum turres. De his machinamentis Vegetius, *de Re militari*, IV, 18.

*Quod si oppidani exire non audeant, majores balistas, malleolos vel falaricas cum incendio desinant, ut perruptis coriis, vel centonibus, intrinsecus flamma condatur. Malleoli velut sagittæ sunt, & ubi adhæserint, quia ardentis sunt, universa conflagrant. Falarica autem, ad modum hastæ, valido præfigi-*

gitur ferro : inter tubum & hastile sulphure, resina, bitumine stuppisque convolvitur infuso oleo, quod incendiarium vocant, quæ balistæ inpetu destinata, per rupto munimine ardens figitur ligno, turritamque machinam frequenter incendit. Falarica usos esse Saguntinos docet Livius XXI, 8. Falarica autem erat Saguntinis, missile telum, hastili oblongo, & cetera tereti, præterquam ad extremum, unde ferrum exstabat : id sicut in pilo, quadratum stупpa circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus posset. Antiqua arma in Celtiberia reperta exhibet Serenissimus Princeps Hispaniæ, D. Gabriel, in egregio suo opere, *Salustio*, pag. 303.

*Enixo civitatum studio.* Brotierus locum hunc ita supplevit : *Præparatis ante omnibus, in ministerium tardior.* Id quod nos substituímus, magis videretur cum superstitibus literarum vestigiis congruere.

*Summatim prioris belli . . . militum virtute.* Hæc conveniunt iis, quæ antecedunt, & loco, qui in codice legi potest.

*Consilio providisset.* Hæc quoque fatis indicantur rerum serie.

*Omnibus conducerent, quibusque sibi possent res servare.* Antecedentia & reliquæ literæ hæc indigitant.

*Viginti milibus.* Libri veteres, Inscriptiones, ut & hic Codex Vaticanus Livii sæpe habent *milibus*, *milia*. Sed & ipse quoque mox habet *mille*.

*Ilercaonum.* Ilercaones oram maritimam ad ostia fluminis Hiberi, *l'Ebro*, habitabant: nunc *la partie méridionale de la Catalogne, & la partie Septentrionale du Royaume de Valence*. Forte melius scriberetur *Ilercaonum*. Ipse Livius XXII, 21. dixit: *in agro Ilercaonensium*; & ipse mox infra in fragmento memorat *Ilercaoniam*. In Plinio III, 3. legitur regio *Ilergaonum*. Multa est apud antiquos Scriptores in scribendis nominibus varietas. Idem enim Julio Cæsari, *de Bello civili*, I, 59. dicuntur *Illurgavonenses*. Ptolomæo II, 6.

*Ἰλερχάωνες.*

*Pompeius.* In Codice Vaticano Librarius scripsit *Ponpeius*, *Ponpeii*. Vitia sunt pronuntiationis & scripturæ, quæ ex nummis & lapidibus corrigere pronum est.

*L. Hertuleium.* Perperam Epitome Liviana L. XCI. habet *Herculeius*; Fragmenta Sallustii, *Hirtuleius*. Verum nomen prodit antiquissimus hic Livii codex, ut recte observavit Cl. Bruns.

*In alteram provinciam.* In Hispaniam ulteriorem; videturque Hertuleius fuisse in Lusitaniæ finibus, *le Portugal*, quæ pars erat Hispaniæ ulterioris.

*Inierat adversum eum eundi.* Quæ supererant in MS. Codice, locusque ea suggerunt.

*Superventurum.* Jam pars verbi obcurrit in MS. codice. Id quoque innuit, quod mox sequitur, *incautos . . . . adgressurum.*

*Ab hostis vi tutari.* Supplevi quæ indicabant reliquæ literæ.

*Hiberones & Autalcones.* Hi populi citerioris Hispaniæ veteribus scriptoribus non memorantur. At quum Metello ad Celtiberos tendenti iter monstraverint, manifestum est eos habitasse in ea parte Hispaniæ, quam nunc dicimus *la partie orientale de la Castille Vieille*, & *partie d'Alava & de Navarre.* Et ut videtur ex nominibus Hiberones Hiberno flumini propiores, Autalcones Celtiberis. Opinor Livium scripsisse *ad Hiberones & Autalcones progredi.* Ad exciderit aut vitio Librarii, aut extrita scriptura.

*Gratiam querebatur infamem.* Id & loco & veteris scripturæ vestigiis convenire mihi videtur. Pro *querebatur*, si quis malit, *reposebat*, haud repugnabo.

*Ab se oppugnarentur.* Id est a Sertorio; ut quod in epitome legitur: *Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit*, hoc totum fortasse de populis Celtiberorum fit intelligendum. Sane autem Contreham, quam ab eodem paulo supra expugnatam legimus, non obscure Florus Celtiberorum oppidis adcenset. Vide hunc librum II. c. 17. Ita Cl. Giovannaz.

*Celtiberorum urbes.* Non difficile fuit supplementum, quum maxima pars in Codice MS. extaret. Celtiberi autem, Celtis, seu Gallis, & Hiberis mixti, unde iis nomen, illudque apud Hispanos bellorum studiis celebratissimum. Laudantur a Silio Italico III, 340:

*Venere & Celtæ sociati nomen Hiberis.*

*His pugna cecidisse decus.*

Eam Hispaniæ partem tenuere, quam nunc dicimus *la partie occidentale de la Castille nouvelle, & une grande partie de l'Aragon.*

*Esse opem.* In MS. *ese*; ut jam alias monui, aut Librarii vitio, aut detrita scriptura.

*Ab Metello.* Id necessario fuit supplendum. Metellus enim occidentalem Hispaniæ partem tenebat. Pompeius autem orientalem. Unde unus Metellus implorare opem poterat, ut subveniret Celtiberis.

*Quam perfidiam ultum ire . . . populos incurset.* Magnus hic ob extritam scripturam hiatus, quem convenienter loco & tempori explevisse mihi videor.

*Ilercaonia.* Ilercaonia, seu regio Ilercaonum; erat, ut jam dixi, prope ostia fluminis Hebri, *l'Ebro*; & oram maritimam Hispaniæ, orientem versus, obrinebat, ubi nunc *la partie méridionale de la Catalogne & la partie septentrionale du Royaume de Valence.*



*Contestania.* Contestania, seu Contestanorum regio, erat infra Ilercaoniam; & oram maritimam Hispaniæ, orientem versus occupabat, ubi nunc *la plus grande partie du Royaume de Valence, & partie du Royaume de Murcie.*

*Lusitaniam.* Perperam aut Librarius scripsit, aut Cl. Bruns legit *Rusitaniam*. Certo certius legendum *Lusitaniam*, cujus pars magna nunc *le Portugal.*

*Hiberum amnem.* De Hiberio amne jam dictum sæpe supra.

*Bursaonum.* Bursaones Plinio III, 3. dicuntur *Bursaonenses*. Erant e centum quinquaginta duobus populis, qui Cæsaraugustam, nunc *Sarragosse*, juris causa, conveniebant. Principem eorum urbem Βούρσαδα Ptolomæus II, 6. Celtiberorum urbibus accenset. Videntur habitasse Hispaniæ partem, quam nunc dicimus *la Mancha.*

*Casuantinorum.* Quum Plinius III, 3. in hoc populorum tractu memoret *Cascantenses*; & Ptolomæus II, 6. urbem Κάσκαντρον, nunc *Cascante*, dans le Royaume de Navarre, trans Hiberum flumen; crediderim Casuantinos a Livio memoratos eosdem esse ac Cascantenses: aut inconpertum qui sint illi *Casuantini.*

*Graccuritanorum.* Urbs Princeps Graccuritanorum erat Graccuris, nunc *Agreda*, dans la *Castille vieille*. De hac urbe Festus: *Gracchuris*

arbs Hiberæ regionis, dicta a Graccho Sempronio, quæ antea Illurcis nominabatur. Nec aliter Epitome Livii, Libr. XLI. Tib. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit: monumentumque operum suorum, Gracchurim oppidum in Hispania constituit. Veterem nominis orthographiam retinuit MS. Codex Vaticanus, ut constat ex nummis inscriptis MUNICIPAL. GRACCURIS, id est: Municipium Graccuris.

*Calagurim Nasicam.* Calaguris Nafica, nunc Calahorra dans la Castille vieille. Hujusurbis nummus ex ære mediocri perrarus exstat apud eruditum Florez; *Medallas de Espanna*, Tab. XI, num. 9. pag. 259. Ex una parte caput hominis nudum; ex altera parte, bos. Supra, CALAGURRI. Infra, JULIA. Nempe Calagurris Julia Nafica municipium erat, forte ita dictum a Cornelio Scipione Nafica. Plinius III, 3. memorat *Calaguritanos*, qui *Nasici cognominantur*. Fuit & Calaguris fibularia; unde Plinius loc. cit. adpellat *Calaguritanos*, qui *Fibularenfes cognominantur*. Illa Calaguris debet esse Loharre dans le Royaume de Navarre.

*Amnem propinquum urbi.* Amnis ille est Hiberus, l'Ebro, sæpe nobis memoratus.

*Venit.* In MS. *Benit.* Nempe ex vitiosa pronuntiatione Librarii, quæ adhuc frequens est in Hispania, Aquitania &c. Inde similis error frequens obcurrit in veteribus Inscriptionibus.

*Arvacos.* Plinio III, 3. & IV, 20. adpellantur *Arevaci*. Celtiberis vicini erant, occidentem versus; immo & pars Celtiberorum: unde dicebantur Arevaci Celtiberi, nunc *la partie orientale de la Castille vieille*. Nomen ducebant ab *Areva* fluvio, nunc *la riviere Arlencon*, qui urbem *Burgos* alluit. *Arevacis nomen dedit fluvius Areva*. Plinius III, 3.

*Cerindones.* Populus foli Livio nominatus; & certe Arevacis vicinus. In hoc situ Plinius memorat Pelendones, partem quoque Celtiberorum. Quatuor populis constabant Pelendones; quorum unus videntur fuisse Cerindones. Plinius III, 3. *Pelendones Celtiberorum, quatuor populis: quorum Numantini, nunc les ruines de Numance dans la Castille vieille, près de la ville de Soria*. In vetere Inscriptione apud Gruterum CAI, 5. PELLENDONES. AREVACON.

*Contrebiam.* Urbs illa diversa est a Contrebia; quam a Sertorio expugnatam initio fragmenti vidimus. Contrebia, quæ adpellabatur Leucada, debuit esse Calaguri Nasicæ vicina, occidentem versus, siquidem præter hanc urbem opportunissimus erat ex Beronibus transitus.

*Beronibus.* Ptolomæo II, 6. Βήρωνες. Hiberum fluvium adcolebant. Inter eorum oppida erat Tritium, nunc *Tricio, près de Najera, dans le pays de Rioja*. Jam monui Beronum nomen manere in oppido *Briones*.

*Segoviam.* Nunc quoque *Segovie*, dans la *Castille* *vieille*.

*Vacreorum.* Pronum est divinare emendandum esse *Vaccæorum*. At quum Plinius III, 3. memoret *Vaccæos*, quorum XVIII erant civitates, quas inter adpellat *Intercatienses*, *Pallantinos*, *Lacobricenses*, *Caucenses*: earum quoque e numero potuerunt esse *Vacrei*. *Vaccæi* autem, quorum pars certe fuere *Vacrei*, eam *Hispaniæ* partem tenebant, quam nunc dicimus *partie de la Castille vieille & du Royaume de Léon*, ubi urbes *Pallentia*, *Valladolid*, *Simancas*.

*Contrebiæ.* *Contrebia*, nunc *Santavert*, quam *Sertorius* expugnaverat, ut dictum est initio fragmenti.

*Per Umconum agrum.* *Umcones*, ut patet ex ipso *Sertorii* itinere, fuere cis *Hiberum* flumen, supra urbem *Calagurim Nasicam*, ubi nunc *la partie méridionale de la Navarre*, *Orientem* versus.

*Vironum.* *Umconibus* vicini erant *Virones*, & *Hiberum* flumen adcolebant; nunc *la partie méridionale de la Navarre*, *Occidentem* versus.

*Vareiam.* *Vareia*, urbs erat *Vironum*, nunc *Logronno* dans la *Navarre*. *Hibero* flumini adposita.

*Haud inopinantibus Vareianis.* *Supplevi Vareianis*, ut locus ipse postulabat.

*Sua gentis.* Gentis Vironum, quorum urbs validissima erat Vareia. Ptolomæus II, 6. Virones omisit; & Vareiam Beronibus adtribuit.

*Et Autrigonum accitis.* In MS. codice & *Autric.* Supplevi, & *Autrigonum accitis.* Licet Cl. Bruns legerit AUTRIC. Certe fuit scriptum AUTRIG. Ptolomæo II, 6. dicuntur Αὐτρίγῳνες; & juxta Plinium III, 3. Autrigonum decem erant civitates. Habitabant Hispaniæ partem, quam appellamus *la partie septentrionale de la Castille vieille.* Decem civitatum una fuit *Virovesca*, nunc *Birbiesca.*